

igitur hic improprietas Logica. Nam, ut dixi, argumenta consentanea affirmatè, disponuntur, idq̄, juxta proprietatem Logicam, hoc est, secundum normam Logicæ dispositionis. Quod si quædam improprietas inveniatur, ea in ipso vinculo sive copula, sive connexionem & dispositionem esse non potest, (de copula Logicus constantissimè, & sine ulla exceptione affirmat, semper eam aut affirmare aut negare: illud in consentaneis; hoc in dissentaneis) sed erit improprietas illa in extremis sive terminis simplicibus, antecedente vel consequente; & tum est improprietas non axiomatica sed Rhetorica, in significatione vocabuli translata. Et ex hoc fundamento judicari debent omnia exempla, quæ ab Adversariis collecta sunt, vel colligi possunt. Et ostendet res ipsa, improprietatem illam Logicam merum commentum esse Sophistarum, & deceptorum.

87. Deinde si res ipsa impropriarum istarum Logicarum prædicationum diligentius expendatur, patebit meras esse nugas, & inanem verborum profusionem adeoq̄ illusionem ingenuo homine indignam. Require enim ab illis hominibus prædicationum istarum explicationem propriis verbis conceptam: Et hanc tibi ad unum omnes obtrudent: Panis est corpus Christi, per significationem: Sic ex Martyre resolvit Keckermannus pag. 445. Hoc est corpus meum, relativè, sive significativè & sacramentaliter. Vel, panis est symbolum seu signaculum corporis Christi, ut resolvit Bucanus p. 694. vel panis significat corpus Christi, ut Zvinglius, Polanus, & aliquandiu Piscator: vel panis est figura vel signum corporis, ut Oecolampadius & pleriq̄ Calvinistæ: vel panis est sacramentum corporis, ut resolvunt Neo-Marpurgenses, &c. Hoc igitur modo resolutam propositionem illam sacramentalem si obtuleris Logico & Rhetori, neuter in ea deprehendet vel esse vel fuisse Logicæ dispositionis in ipsa connexionem improprietatem: Sed Rhetor agnoscat metonymiam in voce corpus, pro signo corporis. Unde talem syllogismum formo. Omnis improprietas reducenda est ad illud ipsum, in quo est proprietas. Atqui proprietas ratione significationis vocabulorum in illa propositione:

Panis